187.

In Christo Jesu crucifixo salus

& me illis intelligi,

186.

Pax christi

S.P. Quia ita sese res tulit, vir venerande, ut Henricus noster
Amstelredamo discedens per Frisiam iter faceret, ac Franc-
querae certas ob caussas aliquandiu haereret, facere non potui,
quin ei Bremam ituro aliquid saltem literularum ad tuam hu-
manitatem deferendarum traderem, praesertim cum is omnino
hoc à me fieri vellet. Neque enim ipsius aequissimae petitio-
ni hac in parte resistendum esse arbitratus sum. Quamvis
autem singulare nihil habeam, quod in praesentiarum ad te scri-
bam: malui tamen aliquid, quam nihil exarando tuae diutur-
nae expectationi satisfacere. Quis ergo sit huius Academiae
status te iam ante ex nuperrimis meis litteris intellexisse
autumo; si qua verò ijs tum defuerint, ea iam ex Henrico nostro
perfectè cognoscere poteris, cui omnia nota et perspecta esse
reor. Hoc unum saltem addo, provinciales hosce hoc agere,
ac quotannis ~~ac quotannis~~ in comitijs per suos delegatos ur-
gere, ut Academia tollatur. Caussantur siquidem sumptuum,
quos illa requirit, magnitudinem, se verò diuturno ac gravi
bello premi, et iam fermè exhaustos esse quiritantes. D. Si-
brandus Lubberti brevi in lucem edet libellum quendam de princi-
pijs theologicis. In eo libro contra pontificios disputat, ac quae-
nam sint vera ac immota theologiae principia, unde certa
in rebus controversis sententia elici possit, ostendit. Nomi-
natim autem scribit adversus quendam Bellarminum Jesuitam
Romae, ut existimo, docentem, qui ante annum plus minus
de hac eadem materia libellum quendam adversus orthodoxos
edidit. Res nostrae adhuc mediocrem statum tenent, faxit
Deus ut in eodem quàm diutissimè permaneant. Quod atti-
net ad scholam vestram, peto ut statum eius mihi proximè
scribendo aperias, crescat ne numerus studiosorum, an verò de-
crescat, et an ne D. Pezelius Witebergam, quò illum vocatum
esse accepimus, concedat. Praeterea noster Gerhardus Bo-
mae uxorem duxisse fertur, quod utrum ~~factum~~ verum sit
et quibus rationibus factum sit, scire gestio. Nihil enim certi

ea de

Rodolpho Artopaeo officiosissimam salutem communicari oro, et si ambo[illegible]
sit ut hunc literae reddiderit, [illegible]

ea de re absurdum mihi constat. Oppidum Noviomagum arcti[ssima]
obsidione à nostris cinctum est, atque duorum alterum op-
pidanis faciendum esse audio, ut vel sese comiti Mauritio
dedant, vel tandem πανολεθρίαν expectent. Rex Hispa-
niarum novas maximasque classes aedificare perhibetur, legio-
nesque plurimas undecunque possit colligere, quibus denuo
regnum Anglicanum et belgicas has provincias oppu-
gnare decrevit. Rex Navarraeus Lutetiam Parisiorum
in deditionem accepit, innumera castella in[?] cepit, et
rerum ferme in bona Galliae parte potitur. Pugna-
tum est nuper acerrime aperto Marte inter Regem
et Guisianos, ubi in Guisianorum exercitu 16. millia
ceciderunt, interijt etiam in eo praelio magna equitum
pars, quos dux Parmensis paulo ante Consiliarium Du[ci]
de Mein, qui in Ducis Guisij iam defuncti locum (ut
opinor) successit, auxilio miserat. In ipsa pugna cum
iam victoria se ad Navarraeos inclinaret, tria millia
equitum ex Guisianis ad regem transierunt, et muta-
tis signis suos socios, quos iam deseruerant cum regi[j]s
pijs hostiliter insecuti sunt. Atque ita in Gallijs reg-
num Christi videtur crescere viresque resumere, regnum vero
antichristi flaccescere atque minui. Quod ut ei prospe-
rum perpetuumque sit, ardentibus gemitibus Deus est oran[dus].
Insuper Reverende domine tibi ingentes gratias ago,
quod nuper tam promptum et paratum te in me commen-
datitijs litteris ornando exhibueris, petoque enixissime, ut
imposterum etiam me simili favore prosequi non desinas,
eundemque semper animum erga me retineas. Ego
vicissim quacunque in re potero tuae humanitati libenter
gratificatus fuero. Postremo quod scribis de dno Luder[o]
Vogelsangio, ac petis, ut eius nomine Dn. Sibrandum

salu[tem]

In Christo Jesu crucifixo salus

[illegible] tunc [illegible] et ne illis intellexi,

semel compellere, sicuti me id fecisse, verum Doctorem diffi-
culter tale quid obtinere posse respondisse. Interim tamen
non dissuaserim, si ipse aliquando (modo in eadem
sententia adhuc persisteris) scribas Doctori, eique tuam
mentem et consilium exponas. Est n. ille vir in
maxima existimatione, plurimumque cum apud ordi-
nes, tum apud reliquos magistratus potest. Haec
celerrimo calamo ac q. in transcursu consignata
aequo animo legas, ac candide aestimes oro. Sa-
luta meis verbis uxorem tuam dilectiss: aliosque quibus
cum familiaritas aliqua mihi intercessit. Deus te,
vir Venerande, cum omnibus tuis quam diutissime
incolumem servet, sanctisque tuis laboribus benedicat.
Vale. Raptim Franeq: Ao 15.90. 30. Maij
stil. vet.

Tuae dignitati addictiss: Henricus
Leonharti Nessanus F.

Habes hic Theses Franeq. [illegible] sub praesidio D. Sibrandi
disputatas

Rodolpho Artopaeo ... communicis oro, A ai ...
... ut ... posse ... voluit ...

Reuerendo doctissimoq; uiro Dn̄o.
Johanni Hildebrando Verbi Dei
ministro Bremæ ad S. Martini ui-
gilantissimo, amico suo plurimum co-
lendo hæ litteræ tradentur.

Bremen.